

*De figuris lapidum, &c.*

habere partum, qui sentiatur etiã strepitu. ex quibus verbis ad Aëtitas hūc referendum esse apparet, & fortè non à cisso, id est, hedera, sed aliunde derivari. Κισσῶν quidem verbum pro concipere, in sacris Carminibus à Septuaginta translatis legitur: Ἐν ἀμαρτίαις ἐκίωσέν με ἡ μήτηρ μου. Κυεῖν verò in eadem significatione poëticum videt̃.

Hederæ folium in lapidis naturam versum, Aldrouãdus Bononię seruat.

*P.* Lapis piperis est, qui reperitur inter grana piperis, colore & magnitudine non dissimilis, Andreas Belunensis.

*R.* Rhodites à rosæ similitudine (in colore nimirũ: nam & Melites Mali coloris sequitur) dictus memoratur Plinio. Cæterùm vt Astrites multis depingitur stellulis à natura, Sigstein Germanicè dictus: sic speciem aliam reperiri audio, multis insignem rosis.

*S.* Polia (πολιὰ) caniciem quandã Sparti